

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Jeremias.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

diat. Non medicinæ, sed Deo tribuenda est sanatio: Et tamen uendum est medicina.

JEREMIAS. *Jerem. 26.*

ARGUMENTVM.

Jeremias urbis & templi ruinam vaticinatur: eam ob causam comprehenditur a Sacerdotibus & vatibus ad necandum. Sed facto ad tumultum concursu, Proceres & Senatores & Ahicamus id prohibent.

*Jeremias, Sacerdotes, Vates, Proceres,
Senatores, Ahicamus.*

Audite omnes omnium Judææ urbium homines, quotquot hoc templum, in cuius ego isto vestibulo, intratis adorandi Numinis gratia: audite, quæ Deus mea voce vobis affatur. ^{a)} Nisi eum audietis, & ex lege, quam vobis præscripsit, vivetis, tum autem dicta vatum, ejus cultorum, quos ipse ad vos mittit, per quos vos mature admonere nunquam intermittit: ea, inquam, nisi audietis, hanc ipsam ædem sacram in eum statum rediget, in quem Silonem redigit, & hanc urbem omnium orbis terrarum gentium ludibrio exponet. *Sa.* Quid sibi vult claimosus iste? *V.* Omnibus minatur exitium. *Sa.* At sibi non minatur, sed conflat maximum malum. *Quin invadimus hominem?* *V.* Atque ita opus est.

Sa.

^{a)} Legi & vatibus qui non obtemperant, pœnas dabunt.



Sa. b) Comprehendite eum viri: cavete ne effugiat: faxo jam scias, Jeremia, quæ mala nobis obnuncias, ea te in temetipsum excitavisse. Itane vero, ut huic templo Silonis ruinam, & Urbi vastam eversionem & solitudinem denunciaveris, & hæc tam dira impune protuleris, morte pœnas lues. *V.* Meruit certe. *P.* Unde tantus iste tumultus, Sacerdotes? aut quid vult tantus hominum concursus? quid novæ rei accidit? *Sa.* Hic homo dignus est, qui capite det supplicium, qui quidem tam horrendas clades huic Urbi sit vaticinatus, quemadmodum vos ipsi audivistis. *J.* Audit me, si placet, & vos omnes populares audite me, Jovæ ego optimi maximi instinctu huc veni, ea in fanum & Urbem prædicturus, quæ vos audivistis. Quare c) corrigite vestram vitam & mores, Deique vestri admonitioni obtemperate, ut mutet consilium, malumque, quod in nos cogitat, avertat. Quod ad me pertinet, equidem video, me in vestra manu esse: vos inibi, quod videbitur, faciatis licet. Veruntamen sic habetote, si me interficeritis, fore, ut vos & hæc Urbs atque Respublica innocentis sanguinem suppicio luat. Certe enim Jova misit me ad vos, ut vobis audientibus ea omnia dicerem. *P.* Nos equidem non videimus justam causam, cur hic capite plecta-

b) Sic solent plerique justa reprehensione offendit, peccatis non item: cum contra fieri debeat,

c) Etiam si divinitus missus non fuisset, tamen huic tam justæ veræque admonitioni obtemperare debebant,



156 DIALOG. SACRORVM

plectatur: siquidem nos nomine Jovæ Dei nostri
affatus est. Se. Audite nos vicissim, nisi mole
stum est. d) Michæas Morastita Vates fuit tem-
pore Ezechiae regis Judæorum, qui Jovæ optimi
maximi nomine, omni Judæo populo audiente
ausus est dicere, Sionem in agrum redactum, ara-
tum iri, Hierosolymamque in rudera collapsuram
& montem sacrum in solitudinem redigendum.
Nunquid in eum morte animadvertisit Ezechias
aut ullus Judæorum? An non Deum reverentia
& precatione sibi placaverunt, malumque, quod
ab illo jam iamque imminebat, depulerunt: &
nos tamen immani scelere animos obligabimus?
Quid Urias: nihil ne vos movebit? Is fuit filius
Semeiæ, ex Cariathiarimo, qui eadem in Urbem
hanc ab Jova est vaticinatus, quæ modo Jeremias.
Quod cum Joacimus Rex audivisset, nec non ejus
milites & proceres, eum quæsivit ad necem. Id
ubi rescivit ipse, territus aufugit in Ægyptum.
Sed eo inisit Rex Elnathanem, & quosdain alios,
qui illinc extractum, ad eum adduxerunt: eum
que ferro crudeliter necavit, & ejus corpus in
plebejorum sepulchretum projiciendum curavit.
Itaque quis fuerit exitus videtis. Nunc dispicite,
utrum nefarium hujus facinus, an consideratam
illius prudentiam malitis imitari. A. Profecto
nunquam sinam vos manus Jeremiæ sanguine
commaculare.

SENTEN-

d) Exemplis plerumque magis moventur homines,
quam rationibus. Itaque his exemplis recte
utuntur.



SENTENTIA.

*Veritas odium periculumque parit. Malo vate
aut doctore nihil iniquius. Plerumque plus sa-
piunt, & plus æquitatis habent inerudit, quam
doctores. Pœnam si vis effugere, fuge culpam.
Mitiora imitanda sunt exempla, immittiora decli-
nanda.*

ANANIAS. Jerem. 28.

ARGUMENTVM.

Ananias Judæis liberationem ad bien-
nium falso vaticinatur. Jeremias contra,
graviorem insuper captivitatem prædictit, &
ipſi Ananiæ mortem a Jova denunciat.

Ananias, Jeremias.

Audi tu Jeremias, una cum universo hoc popu-
lo, quæ jussu Dei vobis denuncio. Ego (in-
quit Jova optimus maximus, Israelitarum Deus)
jam ruinpam jugum Regis Babyloniorum, & post
duos annos referam in hunc locum omnia vasa
templi, quæ Nabuchodonosor hinc ablata Babylo-
nem deportavit: Jechoniamque filium Joachimi
Judæe Regis, omnesque captivos Judæos, qui sunt
abducti Babylonem, huc reducam fracto Babylo-
niæ imperio. *J. a)* Utinam ita faciat Jova, &
tua dicta omnia ad rei conferat, atque huc vasa
sacra reportet: captivosque omnes e Babylone
revolet! Verum audi, & quæ apud te & omne

popu-

*a) Quod tristia nunciant veri doctores, non ideo nu-
ciant: sed quia vera sunt.*

